



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 237. Quid sit emptio & venditio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

# TITULUS XVII.

## De Emptione & Venditione.

### CAPUT PRIMUM.

#### De Essentia & Divisione Emptionis & Ven- ditionis.

*Quest. 237. Quid sit emptio & venditio?*

**R**espond. Explicatius sic definiti seu scribi potest emptio & venditio: quod sit contractus consensualis, nominatus, bonae fidei, ultro citroque obligativus de pretio certo pro re certa tradenda. Dicitur primo: emptio & venditio; conjunctim nimirum accipiendi haec vocabula pro ut unum significant contractum, qui quatenus in eo res vel merx pro pretio promittitur est & dicitur venditio; quatenus reciproce pretium pro re offertur, est emptio. Unde & veteres hisce vocabulis promiscue uti fuerunt, ut dicitur *L. veteres. ff. de act. empt.* indirecte scilicet alterutro eorum propter naturam correlatorum & factorum conjunctionem totum contractum intelligentes, ut juxta *rubr. ff. de contrah. empt.* cum Bachov. *ad Treuter. vol. 1. d. 18. th. 1. lit. a.* & Franzk. *in ff. ad cit. tit. num. 9.* Lauterb. *ibid. §. 1.* ac ita tenent Pirh. Valleng. *ad h. t. num. 1.* quamvis venditionem & emptionem duplicem esse contractum, reciprocum tamen & connexum necessario, dicat Reiffenst. *h. t. num. 9.* quod tamen nescio, an efficaciter probet ex nominum & obligationum hinc inde confurgentium diversitate; cum etiam in uno eodemque contractu depositi diversae confurgant obligationes ex parte deponentis & depositarii. Uti etiam ex eo, quod in rubrica *h. t.* ponatur conjunctio *et*, quae juxta Barbof. *de diction. dist. 110. n. 25.* diversa significat; & quod in *l. 1. ff. de contrah. empt.* dicatur: aliud est vendere, aliud est emere, alius venditor, alius emptor &c. & emptio sit pactio pretii pro merce, & venditio sit pactio mercis pro pretio. Cum etiam actus diversi constituere possint unum eundemque contractum. Verum quidquid sit de hoc, idem quod de emptione dicitur, intelligendum quoque de venditione servata proportione, fatetur Reiffenst. Dicitur secundo: *contractus* quod est loco generis, differtque per hoc ab ultimis voluntatibus, quae contractus non sunt. Et quidem *consensualis*: quod spectat ad differentiam. Non enim sic dictus, quod consensum requirat; id enim omnibus contractibus commune est; sed quod quod ad sui formam & perfectionem solo consensu perficiatur, ut Lauterb. *ad ff. tit. mandati. §. 1.* cujus loco propterea aliqui expresse in definitione ponunt: qui solo consensu perficitur; ut Pirh. *h. t. n. 1.* Unde etiam dicitur contractus juris gentium, *l. 1. §. fin. ff. h. t.* Marant. *spe. aur. p. 4. d. 4. num. 38.* Muller. *loc. cit.* quia cum nec certa verba, nec solennitates praeter consensum requirat, simplicitas juris gentium huic contractui relicta. Lauterb. *loc. cit.* Arg. *§. unic. Inst. de oblig. qua consens.* qualiter

verò solo consensu perficiatur hic contractus, dicitur paulò post amplius. Dicitur tertio: *nominatus*: juxta *l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.* quia certum & specificum nomen formamque contrahendi specialem & certam habet, nominatamque producit actionem. Muller. *ad Servu. in ff. ad tit. de contrah. empt. th. 2. lit. c.* Dicitur quarto: *bonae fidei*, *l. 11. §. fin. ff. de act. empt. l. 2. C. de rer. permut.* Pirh. Mull. Lauterb. *LL. cit.* non quidem, quasi alii contractus essent malae fidei, sed ad distinctionem contractuum stricti juris; dum in eo multa ex aequo & bono praestantur, de quibus expresse conventum non est, *§. actionum autem. Inst. de action. l. 2. ff. de oblig. & act.* & in eo locum habet benigna interpretatio, & tantum potest officium Judicis, quantum in contractibus stricti juris stipulatio, *l. 7. ff. de negot. gest.* Lauterb. *loc. cit.* Dicitur quinto: *ultra citroque obligatorius*: uterque si quidem horum contrahentium mox à consensu mutuo praestito obligatur; emptor ad tradendum pretium venditori, hic ad tradendam mercem emptori, *L. ex emptio. ff. de act. empti*; per quod differt ab aliis contractibus, qui tantum ex una parte obligant, ut donatio. Dicitur sexto: *pro pretio*: quo nomine venit in hoc contractu nummus seu pecunia, *§. item. Inst. h. t.* Quippe quae lege & constitutione publica valoris & aestimationis suae quantitatem consecuta, rerum omnium, quae in commercium humanum venire possunt, mensura publica, seu aestimationis earum adaequatio perpetua facta est, ut ita permutationum (quae prius solum in usu, & quibus res hic & nunc magis necessarias pro minus sibi, magis autem aliis necessariis quisque sibi comparabat,) difficultatibus subveniretur. Arg. *l. 1. ff. de contrah. empt.* ubi tam venditionis & emptionis, quam pecuniae origo explicatur. Dicitur septimo: *pro re seu merce*: accipiendi hoc nomen non strictè, pro ut sumitur *L. mercis. ff. de V. S.* pro re tantum mobili, sed latè pro re omni pecunià aestimabili, & sic etiam pro rebus immobilibus, puta, domibus, fundis, juri- bus & servitutibus, quae non minus quam res mobiles & corporeae emi & vendi possunt, pro ut dicitur amplius infra, *cit. l. 1. §. omnium. ff. h. t.* Laym. *th. mor. l. 3. tr. 4. c. 17. num. 2.* Pirh. *h. t. num. 1.* Dicitur octavo: *pro pretio certo & re certa*. juxta *§. pretium. Inst. h. t.* Unde non valet venditio, si dicatur: vendo tibi aedes tanti, quanti valent: vel tanti, quanti velis, quanti aestimaveris, remittendo definitionem pretii voluntati emptoris, *L. quod saepe. §. illud. ff. h. t.* Item non valet, dum dicitur: vendo aedes justo pretio, nisi postquam, quod sit justum pretium, arbitrio boni viri vel officio Judicis fuerit determinatum. Unde etiam, si

is, cui relicta taxatio pretii, noluerit non potuerit pretium definire, pro nihilo est venditio, quasi nullo pretio statuto, pro ut dicitur, §. 1. *Inst. h. t.* juxta quem §. non sufficit pretium esse certum, sed etiam constitui debet in pecunia numerata, aliàs non valebit venditio. Sic quoque res, quæ venditur, certa esse debet; cum rei indeterminata pretium certum statui non possit. Talis tamen adhuc est, etsi necdum existat in rerum natura, spectetur tamen existura. V. gr. dum venduntur fructus sequente anno nascituri, jactus retis & piscium captura. Siquidem non tam fructus & pisces, quam messis & captura spes, & jus percipiendi fruges nascituros, & pisces, qui in rete inciderint, venduntur & emuntur, *L. nec emptio. §. 1. ff. de contrab. empt.* Pirh. *h. t. num. 2.* Haunold. *de §. & §. tr. 8. num. 83.* Brunnem. *in cit. l. n. 4.* Wiestn. *h. t. num. 7.* Dicitur denique: *tradenda*: quemadmodum enim de substantia hujus contractus non est, ut pretium statim solvatur, seu illius solutio, ita nec est de ejus substantia, ut merx statim tradatur, seu actualis traditio, sed solum, ut fides detur desuper, solutioque illa & traditio statim debeatur irretractabiliter. Pirh. *loc. cit.* citato Azor. *Inst. mor. p. 3. l. 8. c. 1. quest. 1.* de quo mox amplius. Constituunt itaque hunc contractum veluti partes essentielles hæc tria: pretium, merx & consensus; priora quidem duo tanquam materia seu causæ materiales, consensus verò veluti forma, *l. 2. §. 1. L. nec pretio; & L. seq. ff. de contrab. empt.* Pirh. *h. t. num. 2.* ac per particulas illas posteriores: *pro re & pro pretio*: distinguitur hic contractus potissimum à contractibus aliquibus, aliàs valde illi affinis. Primò à permutatione, in qua res datur pro re, seu merx pro pecunia, ita ut pecunia non tam habeat rationem pretii quam mercis ratione materia vel circumstantiæ alicujus, ut si moneta nova hic tradita commutetur cum veteri alibi solvenda. Pirh. cum Azor. *loc. cit.* à locatione, cum in hac pecunia, si interveniat, non pretii, sed mercedis vel pensionis pecuniariæ locum habeat; ut cum Gl. *in l. 1. §. 1. ff. de superfic.* Pirh. *loc. cit.* Molin. *de §. & §. d. 336. n. 5.* & Azor. *loc. cit.* apud Wiestn. *h. t. n. 6.*

*Quæst. 238. An igitur adhuc sit venditio & emptio, dum emptor partim pecuniam, partim rem aliam certam loco integri pretii pro merce paciscitur?*

**R**esp. Distinguendum ita esse, ut si res, quæ loco integri pretii additur pecuniæ, sit æqualis cum ea pretii, vel non sit notabilis utriusque excessus, aliqui cum Baldo contractum esse adhuc venditionem & emptionem, alii contractum mixtum celebratum censent, ita ut quatenus respicitur pecunia, sit venditio & emptio, quatenus merx respicitur, sit permutatio pro qua posteriore sententia Wiestn. *h. t. num. 12.* citat Gomez. *Tom. 2. var. c. 2. num. 10.* Covar. *l. 2. var. c. 4. num. 9.* Molin. *loc. cit. num. 6.* Haunold. *loc. cit. num. 9.* Alii denique sentiunt in hoc casu attendendam intentionem contrahentium, ut pro tali habendus sit hic contractus, qualem celebrare illi intendunt, & pro ut hanc suam intentionem verbis expresserunt. Ita Wiestn. *loc. cit. in fine.* Reiffenst. *h. t. num. 18.* citans pro hac sententia. Bartol. *in . 24. ff. h. t.* Molin. *ubi ante,* Haunold. *tr. 10.*

*c. 1. contrav. 3. num. 9. &c.* Addita ratione: quòd ubi jura specialiter non obstant, contractus ex conventionem & intentionem legem sortiantur. Quòd tamen potius de pacto adjecto contractui, non transferente illum in aliam speciem, quàm de natura ipsa contractus intelligendum videtur, quasi hæc dependeat ab intentione contrahentium. Quòd si verò ex parte alterutrius notabilis excessus appareat, contractus hic sortiatur naturam & nomen juxta hunc excessum seu à potiore & principali. V. g. si multum prævaleat pecunia. V. g. pro domo valente 1000 florenos dentur 900 floreni & equus valens 100. florenis, erit emptio & venditio; si multum prævaleat res. V. gr. pro domo valente 1000. florenos deter ager valens 900. florenos, & 100. floreni in pecunia, erit permutatio. Ita Bart. Molin. Covar. Haunold. Wiestn. Reiffenst. *LL. cit.* idpue etiam contrahentes alium contractum inire intendunt, aut alio nomine illum nuncupent; cum, ut jam dictum, dum ex subjecta materia constat de natura & specie contractus, attendi non debeat privata intentio & nominatio contrahentium.

*Quæst. 237. An & qualiter solo mutuo consensu absque traditione constituitur & perficiatur emptio & venditio?*

**R**esp. Contractus emptionis & venditionis solo consensu mutuo emptoris & venditoris, (non quidem merè interno, sed signo aliquo externo manifestato, utpote quo egent omnes contractus inter homines celebrati,) de solvendo pretio, & re tradenda perficitur quò ad substantiam seu essentiam, absque eo, quòd ad hanc requiratur actualis solutio pretii & traditio rei, aut etiam, quòd per eam necesse sit actu transferri dominium, ita ut præstito dicto consensu, contractus hic perfectus consistat, & neutra pars pœnitere seu resilire possit. Ac ita cum comamuni docent Pirh. *h. t. n. 1.* Wiestn. *num. 8.* Reiffenst. *num. 4.* Lauterb. *ad ff. de contrab. empt. §. 8.* juxta *l. 1. §. 2. l. 2. §. 1. l. 9. ff. eod. l. 12. C. eod. l. 1. §. 2. ff. de rer. permus.* Neque his obstat *l. 2. C. de peric. & commod. vend.* dum ibi dicitur: antequam vendantur imperfecta etiam tunc venditione: nam ibi agitur de venditione ad mensuram, quæ ante mensurationem perfecta non est; cum ante hanc de certa quantitate vendita, pro ut substantia contractus requirit, non constet, & res. V. g. vinum sub ea conventionem, si ad mensum fuerit, vendi videatur. Atque ita in speciali hac emptione, ubi ea facta ad mensuram, traditio seu ad mensuratio requiritur tanquam objectum & complementum dictæ conditionis. Lauterb. *cit. §. 8.* Wiestn. *cit. n. 8.* citans Brunnem. *ad cit. l. 2. n. 1.* Haunold. *de §. & §. tr. 8. n. 4.* differt proinde per hoc, quòd traditionem ad sui constitutionem non requirat, ab aliis contractibus realibus, puta, commodati, mutui, depositi, pignoris &c. de quorum essentia est traditio rei, ita ut; quamdiu ea non fit, nulla nascatur obligatio, sed semper resilire liceat, & quantumcunque etiam promittatur, non sit commodatum, mutuum &c. sed solum promissio mutui, commodati, &c. vi cujus promissionis acceptata resilire quidem non licet à mutuo, commodato &c. constituendo, seu impediri nequit, quò minùs illud constituitur; non tamen ista obligatio non pœnitendi nascitur ex ipso mutuo, commodato &c. sine traditione, utpote quòd sine ea non est. Nihilominus traditio illa